



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XXXVII. De pura & integra resignatione sui ad obtinendam cordis
libertatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

3. Quis tu, ut timeas à mortali homine? Hodie est, & cras non comparerat.

Deum time, & hominum terrors non expavesces.

Quid potest aliquis in te verbis aut injuriis? Sibi potius nocet quam tibi: nec poterit judicium Dei effugere, quicunque est ille.

Tu habe Deum præ oculis, & noli contendere verbis querulosis.

Quod si ad præsens tu videris succumbere, & confusione pati quam non meruisti; ne indigneris ex hoc, neque per impatientiam minuas coronam tuam:

Sed ad me potius respice in cælum, qui potens sum eripere ab omni confusione & injuria, & unicuique reddere secundum opera sua.

C A P U T XXXVII.

De pura & integra resignatione sui ad obtinendam cordis libertatem.

o. **F**illi, relinque te, & invenies me.

Sta:

Sta sine electione , & omni proprietate ; & lucraberis semper.

Nam & adjicitur tibi amplior gratia, starim ut te resignaveris , nec resumpseris.

2. Domine , quoties me resignabo , & in quibus me relinquam ?

3. Semper , & omni hora : sicut in parvo , sic & in magno. Nihil excipio , sed in omnibus te nudatum inveneri volo.

Alioquin , quomodo poteris esse meus , & ego tuus ; nisi fueris ab omni propria voluntate intus & foris spoliatus ?

Quantò celerius hoc agis , tantò melius habebis : & quantò plenius & sinceriùs , tantò mihi plus placebis , & amplius lucraberis.

4. Quidam se resignant , sed cum aliqua exceptione : non enim plenè Deo confidunt , ideo sibi providere satagunt.

Quidam etiam primò totum offerunt , sed postea tentatione pulsati ad propria redeunt ; ideo minimè in virtute proficiunt.

Hi

Hi ad veram puri cordis libertatem , & jucundæ familiaritatis meæ gratiam , non pertingent ; nisi integra resignatione , & quotidiana sui immolatione priùs facta : sine qua non stat , nec stabit unio fructiva.

5. Dixi tibi sæpiissimè : & nunc iterum dico : Relinque te , resigna te , & fruéris magna interna pace.

Da totum pro toto : nil exquire , nil repete : ita purè & inhæfitanter in me , & habebis me.

Eris liber in corde , & tenebræ non concubunt te.

Ad hoc conare , hoc ora , hoc desidera : ut ab omni proprietate possis exscoliari , & nudus nudum Jesum sequi ; tibi mori , & mihi æternaliter vivere.

Tunc deficient omnes vanæ phantasie , conturbationes iniquæ , & curæ superfluæ.

Tunc etiam recedet immoderatus timor , & inordinatus amor morietur.

CA-